FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS...

Franz Ernst Bruckmann

31

FRANC. ERNEST. BRÜCKMANNI,
MED. DOCT.

EPISTOLA ITINERARIA XXXI.

DE

LAPIDE GAMAICU SEU VARIOLACEO,

AD

VIRUM PRÆNOBILISSIMUM, CLARISSIMUM ATQUE DOCTISSIMUM DOMINUM

DOMINUM

JOH. SAMUEL GRAPIUM,

MED. DOCT. POLIATRUM ET PHYSICUM URBIS ET COMITATUS HOJENSIS CELEBERRIMUM,

AMICUM ET FAUTOREM COLENDISSIMUM.

(o)

CUM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENBUTTELAE. MDCCXXXIV.

VIR PRÆNOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME,
FAVTOR ET AMICE MAXIME COLENDE!

RElationem *Lapidis variolæ* musæi nostri, quam nuper admodum, *Vir prænobilissime*, a nobis petiisti, brevissimam hic accipe. Lapis, qui a pustulis parum elevatis & infantum variolis simillimis, in hoc concreto hinc inde obviis, nomen habet, ab Ulysse Aldrovando in Mus. metall. Lib. IV. cap. LXVII. p. 885. *Lapis variolatus*, ab aliis vero *lapis variolaceus*, *lapis variolæ*, melius *variolarum*, (nam plerumque plures, quam una, adsunt pustulæ) *variolites* vocatur. Germani, ob eandem variolarum signaturam, quam peripheria & latera lapidis undique ostendunt, Pocken-Stein, & Helvetii Parpel-Stein istum nominarunt. In India, præcipua ejus patria, ex qua optimus & unice olim petebatur, incolæ *Gamaicu* salutant. Galli ei nomen *Pierre de petite verole*, *Pierre picot*, nam vocabulum picot iis notat variolas puerorum minores, & petite verole opponitur grand verole, variolæ magnæ, quæ ad luem Veneream pertinent, tribuerunt. Hujus commatis sunt lapilli, die *Caramanische* Steinlein dicti, quorum Paul. Lucas Part. II. Itineris IIItii in Imperium Turcicum

mentionem ſequentibus p. 244. fecit: *Caramaniſche* Steinlein ſehen graulich aus und haben Flecken / bewahren / wenn man ſie bey ſich trägt / für den Kinder-Pocken / und hellen di ſelbige. Varioliten vocant quoque *morbillorum lapidem*, Maſern-Stein; diſtant autem a ſe invicem morbilli & variolæ modo elevationis, ut alias plures differentias intactas pronunc relinquamus, priores ſunt ſaltim maculæ in cute rubicundæ, quæ ſe nunquam in altum attollunt, cum poſteriores elevatæ puſtulas rotundas, diſcretas & confluentes, efforment. Hinc, noſtra ſententia, melius erit, hos lapides a ſe invicem diſcernere, & lapides elevatis puſtulis, *variolatos* nominare, iſtos vero absque puſtulis, ſolas maculas, morbillis ſimiles, in planitie oſtendentes, *Pſeudo-variolitas* vel *lapides morbillorum*, Maſern-Steine appellare.

Delineationem lapidis variolarum hanc breviter dabimus: eſt concretum prædurum, inſtar Jaſpidis, ſaxeum, ponderoſum, pro ratione molis ſpecificæ, coloris obſcure-viridis, in uno, binis, imo omnibus lateribus, paululum elevatis & clare viridibus, partim rotundis, partim ſemiſphæricis depreſſis globulis, quorum quidam alius & plane irregularis quoque figuræ maculas exhibent, obſitum; Hæ elevationes in lapide maculatæ variolas infantum minores, ſimplices, & in unum acervum congregatas, curioſe repræſentant, quæ etiam interne in media lapidis ſubſtantia, inſtar parvorum lapillorum vel ſiliculorum, perſpicue videndæ; & hi ſiliculi, quando, quod ad dimidiam partem, in plano lapidis prominent, variolas exhibent. Eſt lapis ſiliceus ex luſu naturæ figuratus, qui puſtulis, variolis ſimillimis, & rudimentis earum, undique obſitus & inſignitus.

Ra-

Rariſſimi hujus lapidis tres diverſas in noſtra variorum foſſilium collectione ſpecies poſſidemus: 1. quendam ex Indiis allatum. Hic refert ſilicem durum, quaſi ſpaticeum, ex albo-incanum, maculis, quæ partim aliquatenus variolas confluentes, partim, ſed raro, diſcretas & ſimplices exhibent, parum elevatis obſcure-viridibus conſperſum. In ſuperiori parte hoc concretum quatuor digitos transverſos longum eſt, totidemque latum, & aliqualem habet convexitatem; quod ad internam ſubſtantiam, totum corpus iisdem dictis gaudet coloribus, interſperſis parvis ſiliculis viridibus & ſpaticis; ponderis VI. ſemunciarum. Accedit proxime ad iſtum lapidem, quem D. Mich. Bernhard. Valentini in Muſei muſeor: Part. 1. pag. 51. ex Ulyſſis Aldrovandi Muſ. metall. Lib. IV. cap. LXVII. pag. 883. deſcripſit & figura quadam delineavit. Tabula hic addita noſtrum depictum & æri inciſum oculis offert. *Fig.*

2. *Sileſiacum.* Eſt lapis rubicundus, maculis ex albo-carneis & ſiliculis nigricantibus immerſis, pulcherrime variolatus. Hunc verum lapidem variolaceum vix, potius ſpurium eſſe, credimus, cui melius & rectius nomen tantum pſeudo-variolitæ conveniat; vel etiam, quoniam maculis elevatis & puſtulis caret, ſecundum ſub initium factam diviſionem in lapides variolarum & morbillorum, Mattern-Stein dicendus, cum rubicundas morbillorum efflorеſcentias ſolummodo in planitie ſua repræſentet. In terra Sileſiaca quondam ad pagum Mochlen, 2½ mill. Vratiſlavia diſtantem, repertus fuit.

3. *Gamaicu Helvetiæ* vel *Varioliten Helveticum* griſeum, puſtulis rotundis, ſeu ſiliculis immerſis viri-

dibus, albis. luteis & ex albo-viridibus ſemiſphæricis extra lapidis corpus eleganter & diſtincte conſpicuis, ex utroque latere, quorum unum planum eſt, ſed majori copia exanthematum elevatorum conſperſum, alterum vero convexum, in quo minor puſtularum quantitas conſpicitur, refertum & obſitum.

Cum vero variolæ, in infantum corporibus obſervatæ, non unius ejusdemque ſint generis, ſed bifariam dividantur, nempe in ſimplices, diſcretas, rotundas, & ex binis, ternis & pluribus compoſitas & confluentes irregularis figuræ; ſic & accurate, non ſine admiratione, hæc puſtularum & macularum varietas in ſæpius dictis *lapidibus variolatis* obſervatur, nam quædam efflorefcentiæ in unam coiverunt, & ſic variolas confluentes repræſentant, quales fig. I. Valentini l. c videndæ; quædam rurſus ſunt diſcretæ, ita ut nulla non puſtula ſeparatim ab altera & diſtincte conſideranda, quales idem Autor fig. II. ſpectandas propoſuit.

Jacobus a Melle, verbi divini miniſter, Theologus celeberrimus, omni noſtra laude major, ſenex admodum reverendus. Lubecenſis, ſcripto ſuo de lapidibus figuratis agri litorisque Lubecenſis p. 42. mentionem fecit & iconiſmum addidit iſtius *lapidis variolacei*. quem ipſe ad pagum Belendorpium, non procul Lubeco, invenit, coloris obſcure-rubri, in quo maculæ candidæ, variæ magnitudinis, elatæ conſpiciuntur; porro idem in muſeo ſaxum variolatum ex inſula Malta transportatum aſſervat, quod pulchritudine & lapidem Belendorpienſem, modo nominatum, nec non Pruſſicum, quem Helwingius in lithograph. Angerburg. Part. I. Claſſ. II. ſect. I. p. 57. §. 8. Tab. VIII.

fig.

fig. 7. delineavit, imo & Bornholmienſem Ducatus Holſatiæ, longe ſuperat.

Lapis variolatus a beat Doct. Joh. Jac. Scheuchzero in fluvio Sila Helvesiæ repertus, ſecundum deſcriptionem, quam ipſe Tom. VI. p. 130. der Natur-Geſchichten des Schweitzerlandes communicavit, erat ſilex ſubviridis, puſtulis ſ. variolis albidis inſignitus, ein grüner Kieſling mit weiſſen erhebeten Blättern bezeichnet. Olim ſola India *variolitarum* patria, in qua unice inveniretur, ex qua Societatis Jeſu monachi primum iſtos in Europæ provincias apportarunt, credebatur; ſed poſtmodum, cum plures rerum naturalium, lapidumque figuratorum amatores terræ viſcera & lapidicinas ſedulo ſcrûtarentur, in variis Europæ locis & iſtos obvios offenderunt, nempe primo in Scotia, teſte Robert. Sibbaldo in Hiſt. Scotiæ natural. Part. II. Lib. IV. p. 149. in Suitia, in qua Carol. Nicol. Langius quendam ad urbem Luceriam, (vid. ejusdem Hiſt. lapid. figurator. Helvet Part II. cap. V. Tab. X. p. 40.) & Scheuchzerus, ut modo diximus, talem in fluvio Sila nacti ſunt. D. Kundmannus varioliten viridem, maculis rotundis albis depictum, Lucernenſem habet, confer. ej. Promptuar. rerum natural. p. 237. qui quoque rariſſimum quendam ex atro viridem tuberculis albis conſpicuum poſſidet. In littore contra Magellonam in Gallia *lapis variolarum* varii generis, incolæ Avenionenſes *Pierre picot* vocant, quem olim non, niſi ex Indis afferri credebant, hodie non in eo tantum littore, ſed ad Provinciæ quoque fluvium, la Durance, reperitur. Nec Regna Pruſſiæ & Perſiæ hiſce carent; imo & quis ſcire poterit ſingula terrarum loca, in quibus hi lapides quoque inventu faciles? nam re-

ve-

vera, accurate examinati, nihil aliud ſunt, quam caſu & luſu naturæ ex ſpato ſplendido præduro & rigido formati & figurati ſilices, & puſtulæ, quæ interne in lapidis ſubſtantia & in peripheria externa obſervantur, nihil aliud ſunt, quam parvi ſiliculi alius a reliquo lapidis crecreto coloris, qui cum lapide, cum mollis adhuc fuerit, mixti in unum corpus coiverunt & in unam maſſam lapideam concreti ſunt. Morbillorum maculæ in dictis lapidibus ſunt æque parvi ſiliculi alius coloris, & diverſi ab iſto in reliquo lapide obſervando, qui unam eandemque ſuperficiem planam cum concreto ipſo majori, non elevatam, retinent. Qui ex India apportatus, videtur quidem, primo intuitu, Jaſpidis viridis ſpecies, ſed tamen accurate penſitatus & examinatus, ſimul cum puſtulis tantum a natura viridi colore tinctum ſilicem oculis ſpectandum præbet; interim, quia perdurus, aliqualem interdum admittit polituram. De pretio ejus vid. Pet. Pomet. in notis ad Aromatarium ſuum pag. 898.

Color in hoc lapide multum variat, quidam fuſcum ad viriditatem tendentem, quidam colorem leucophæum, cinereum, incanum, nigricantem, ex viridi-flaveſcentem, vel & alium habet. Indicus omnium optimus eſt, &, quod ad colorem, pulcherrimus. Vires, quæ his concretis tribuntur, in omnibus ſunt eædem. Nec magnitudo horum lapidum ſemper eadem, forſan quidam in integris fruſtis admodum magni & prægrandes ſunt? iſte, quem addita figura exhibet, eſt ſaltim fruſtum de ſilice majori variolato detruncatum. Præterea & puſtulæ in lapidibus hiſce figuratis non unius ejuſdemque ſemper ſunt circumſcriptionis, ſed quoque, ratione magnitudinis, mul-

tum

tum a se invicem distant. Omnes variolitæ sunt lati, plani, plerumque ad quandam rotunditatem tendentes, instar parvi orbis; interim tamen & facies exterior est varia, s. sit integri lapidis, s. portiunculæ de isto detractæ; admodum a natura ponderosi, perduri, silicum instar, quorum certe species sunt; densi, & parum, spati instar, splendentes; in margine rotundiores & tactu molliores; coloris viridiusculi & aliorum quoque, intermixtis parvis colliculis, qui partim albidi, partim plumbei coloris sunt, & proxime positi variolas maturas depressasque exhibent. Vires virtutesque hujus lapidis quod concernit, variolæ innocuæ perhibentur istis, qui eum de collo suspensum portant; imo in corpore nudo, amuleti instar, gestatus propellere ex cute hæc exanthemata; provocare ichorem variolarum ad cutis peripheriam, & præservare a cicatricibus; quando aqua calida, qua maceratus fuit, facies hoc morbo decumbentium lavatur, non redditur cicatricosa, nec ullum damnum afferunt efflorescentiæ. Nostro judicio, nulla vis specifica contra variolarum virus damnosum in hoc silice quærenda est, nec plus opis ei hic, quam alii lapidi duro & siliceo, tribuenda. Arabes interea huic dictas virtutes ob signaturam conferunt, ob quam quoque semina lenticularum orbiculata in hoc, interdum satis maligno; morbo exanthematico laudibus extollunt, quæ tamen signatura, licet in hoc lapide distinctius consideranda sit, quam in dictis seminibus, morbum tamen nunquam tollit. Sola signatura orbiculata utrinque convexa, quam lenticulæ cum variolis communem habent, minime exanthemata ex corpore ad cutis peripheriam amandat & propellit. Præterea ad

X hunc

hunc morbum cutaneum ſanandum tutiora proſtant expellentia, præſtantioraque remedia, quæ inſimul malignitati reſiſtunt, ex pluribus ſaltim C. C. ejusque varia præparata commendamus, quod multo ſecurius, quam lenticularum decoctum, ægrotis propinatur. Aldrovandus l. c. mentionem fecit cujusdam Jeſuitæ, qui ei modum, quo variolæ epidemice graſſantes, mediante hoc ſaxeo concreto, pellendæ forent, retulit. Virtus lapidi, quando nudo in corpore geſtaretur, attributa pellendi nempe variolas, præſervandi a cicatricibus, plus vice ſimplici in infantibus & quamplurimis perſonis provectioris ætatis quidem multis experimentis tentata, ſed nunquam energiam promiſſam & effectum ſalutarem obſervare licuit. Noſtrum *varioliten* ante ſex modo menſes accepimus, quare, cum variolæ hic loci hactenus non graſſatæ, nulla tentamina cum eo inſtituere potuimus, quæ autem, data occaſione, ut percipiamus, ſit ne ſalutaris quædam in eo obſervanda virtus & efficacia, nec ne? facere non negligemus. Credimus vero, quod 1) ſignatura hic nihil faciat, imo inutile & ſuperfluum ſit, amuleti ratione, iſtum alligare. 2) quod ſaltim, ſi aliquid præſtet, repellendo agat, in facie nempe & circa lumina oculorum, quæ maxime & præcipue a variolarum efforeſcentiis præſervanda & defendenda. Concedimus, tempeſtive adhibitum oculisque affrictum lapidem forſan maculas & variolarum ichorem, tempore ebullitionis & eruptionis, a facie & oculis, ad alium eruptioni variolarum commodiorem cutis locum re- & propellere, & ſic aliquo modo oculos cum facie a cicatricibus immunes præſervare poſſe, interim non major, quam aliis repellentibus, virtus, nec

vis

vis specifica præservandi corpora a variolarum contagio, & earum stigmatibus, & curandi pustulas, adscribenda.

3) Quod plane nocivus sit, quia unice repellendo agit, & hinc, dum materiam retro ducit, non raro plus nocumenti, quam salutaris emolumenti necessario decumbentibus affert.

Plura de hoc lapide, si placet, vid. in Eman. Konigii Regno minerali Sect. III. c. VIII. p. 270. Joh. Jonstoni notitia regni mineral. s. subterraneorum catal. p. 70. Valent. Kräutermanni neu-vermehrten histor. medicin. Regno mineral. p. m. 217. Paul. Jac. Marpergeri in Natur- und Kunst-Sachen neu-eröfnetem Kaufmanns-Magazin Part. II. p. 259. item compendieus. und nutzbahren Haushaltungs-Lexico. p. 937. item Kundmanni Promptuar. rer. natural. &c. p. 237.

Vale animo juxta ac corpore feliciter. Deus *Te*cum nobilissima Tua costa totaque familia salvum, felicemque perpetuo florentemque; tum mei amantem servet. scrib. Wolffenb. 1. Aug. 1734.

(o)

Ad. Ep. It. XXXI.

